DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TUBERCULORUM ORIGINE.

8

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TUBERCULORUM ORIGINE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS CAROLUS HENRY,

ANGLUS,

SOC. REG. MED. SOCIUS EXTRAORD. NUPERQUE PRÆSES,

NUNC EX COLLEGIO CAII CANTABRIGIENSI.

"Nam cur tam variæ res possent esse requiro,
"Ex uno si sunt *igni* puroque creatæ."

LUCRETIUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES STARK.

MDCCCXXVII.

EDVARDO HOLME, M. D. S. L. S.

SOC. HIST. NATUR. MANCUN. PRÆSIDI,

VIRO

VI INGENII VIVIDA,

HUMANIORI NULLA NON DISCIPLINA

ORNATO,

MEDICO DENIQUE INTER LAUDATOS JURE

LAUDATISSIMO,

SIBI SEMPER BENEVOLO;

HAS QUASI PRIMITIAS

ARTIS MEDICINÆ A SE EXCULTÆ,

GRATO HUMILIQUE ANIMO

DICAT

GULIELMUS CAROLUS HENRY.

NECNON

GULIELMO HENRY, M. D. S. R. S. &c.

TIBI, PATER OPTIME,

SCIENTIAM EA LAUDE EXCOLENTI,

QUAM FILII HAUD EST MEMORARE,

EXIGUUM HOC OPUS,

STUDIO STUDIIS TUIS NON OMNINO ALIENO

DUCTUM,

SUMMA OBSERVANTIA SUMMOQUE AMORE,

DAT, DICAT, DEDICAT

FILIUS ADDICTISSIMUS.

“ Gignuntur enim mutantque colorem.”
LUCRET.

— Brooke Esqr.

With the Author's Compl.ts

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TUBERCULORUM ORIGINE.

Auctore Gulielmo Carolo Henry.

Scientiæ "pathologicæ" quæstio omnino gravis, morborum curatione quam maxime versata, medicisque hodiernis acriter agitata, nobis est aggredienda. Hanc, telæ morbidæ indagatione subtili et diligente, signisque omnibus inter se optime collatis, et rite perpensis, prout, post valetudinis adversæ prima animadversa indicia, sese obtulerunt, esse componendam, nemo dubitat. Pluribus tamen hunc cursum tenentibus, scientiæ suæ impense etiam deditis, ea

sunt notata, quæ minime simplicia, ideoque interpretationes varias haud recusantia, opinionibus prius statutis, altasque in animis eorum radices agentibus, favere visa sunt. Signorum necnon historiæ, ægrotis medico traditæ, quibus, antequam sese curæ illius commisissent, occupati erant, morborumque aliorum eos olim tentantium, semper mancæ sunt sæpe etiam parum fiduciâ dignæ. Hisce errorum causis perpensis, claudâ quoque et imperfectâ actionum telarumque, non modo morbo implicitarum verum etiam omnino naturalium cognitione,—mutationum ordinem, quæ tuberculis, in variis corporis humani telis natis, antecedunt, altâ caligine mersum adhuc latuisse quis mirabitur?

Hæc sunt præcipua quæ de tuberculorum origine medici nostrates et Galli nunc existimant.

1*mo*, Corpora hæc ex vasorum secernentium morbidâ quâdam parum cognitâ conditione nasci (vice de nutrition) cujus nec prodromus nec assecla *necessariò* est inflammatio, judicant et

Laennecius et Andralius. Hanc doctrinam nos quantum possumus tueri parati sumus.

2do, Tubercula, inflammationis simplicis fructus esse Broussais et Bouillaud persuasum habent.

3tio, Ex hydatidibus oriri credunt et Jennerus et Baronus.

Argumentis quamplurimis nitentes, quæ et morbi historia et mutationes organicæ in cadavere patefactæ, præbent, tubercula ex inflammatione oriri inficiamur. Morbum etenim quemcunque nisi vel ex conditione anatomica partis eo tentatæ vel ex signis, nempe functionibus læsis, quæ eum semper comitantur, definire nequimus. Signis autem inflammationis, aliquando certe observandis, sæpissime in iis quorum viscera tuberculis occupantur, absentibus; mutationibusque telarum tabe laborantium haud omnino eas referentibus, quas gignit inflammatio ; tabem phlegmasiamque eundem esse morbum judicantes nobis a vera ratione magnopere

lapsi videntur. Rem ita se habere prout jam diximus est confirmandum.

Inprimis signa quæ prima suspicionem movent tubercula vel in procinctu stare, vel jamjam pulmones, *e. g.* invasisse; eadem esse ac illa quæ membranæ mucosæ pulmonum inflammatione correptæ certa sunt indicia est fatendum. Hanc vero bronchitidem tuberculorum effectum non causam esse cito forsan videbitur. Exemplis enim vi et numero plurimum valentibus, tubercula in pulmonibus eorum, qui nunquam vel pneumonia vel etiam gravedine laboraverant sæpe esse reperta inter medicos convenit.*

Quum autem Broussais aliique forsan medici de hâc re aliter dicant, ad morborum historias, quæ hæc aperta faciunt, fide narratas, est provocandum. Hanc vero Laennec in quæs-

---

* Vide Laennec de l'Auscultation, t. i. p. 568, 573, 626. Baron's Illustrations of the Enquiry, &c. p. 14. Travers on Constitutional Irritation, p. 33.

tione nostræ alienâ tradidit, (t. i. p. 590.) Quidam, insania qui jam sæpe arreptus, alias bonæ fuit valetudinis in nosocomio "Necker" cerebri inflammatione fatigatus, intra septem dies succubuit. Nec tussisse nec aliquid excreasse unquam viderunt ministri. Pectore tamen post mortem explorato, caverna par ovi, quod ad molem, in pulmone dextro tuberculis quamplurimis ad seminis milii magnitudinem referto inventa fuit. Tria vel quatuor fuere tubercula majora in pus cito abitura, jam in materiem flavam, opacam mutatis partibus centro vicinis. Historia etiam similis ab Andralio (t. iii. op. cit. p. 160,) narratur. Quendam peritonei inflammatione demum occisum, ingravescente morbo sæpenumero rogabant medici anne tussi plexus fuit. Vel hâc, vel excreatione vel spiritu difficili se usquam tentatum esse semper negabat. In pulmone tamen dextro deprehensa est caverna ampla adeo ut pomum continuisse potuit, circa quam multæ aliæ fuerunt minores. Per eundem etiam sparsa sunt haud pauca tubercula adhuc firma nec omnino mollita. Phthisis exemplum, quo tussis aliaque morbi viscera pectoris corripien-

tis signa, morti sex tantum hebdomadas præivere, narravit Louis.* Quatuor tamen jampridem menses et alvus fuerat fusa et corpus sensim marcescebat. Vestigiis quoque morbi gravioris quam ut nuper ortus esset, in pulmonibus præ se ferentibus, tubercula quam tussi et spiritu gravi tentatus esset ægrotus, longe diutius sedem suam ibi habuisse dubitare nequimus. In ægro alio febris hectica, sitis ardens, anorexia, et macies, tussi pectorisque morborum indiciis annum totum antecesserunt.† Alter quoque iisdem fere malis menses septem implicitus decimo mortuus est. Sex tantum hebdomadas antequam obiret, tussi, eâ quoque levissimâ premebatur. Cavernæ amplæ et vetustæ, multa quoque tubercula et grana subalbicantia ambobus inveniebantur pulmonibus.‡ Idem quoque observatio xxix a Louis memorata pariter comprobat.

Bouillaud etiam, cui testi in re quam nunc

---

* Sur la Phthisie, p. 88. † Louis, op. cit. p. 368.

‡ P. 373, op. cit.

agimus plus fidei forsan est tribuendum, quippe qui omnes sententias in quas ivit Broussaisius acriter defendit, exemplum nobis præstitit. Puella menses xviii nata in nosocomio "Cochin" inflammatione cerebri periit. Nulla signa morbi pectoris præ se tulere per octo dies dum illic commoraretur, sed spiritus satis bene trahebatur, nec olim ullo viscerum horum morbo laborasse narratur, sed hæc fuit conditio pulmonum. "Leur surface est comme semée d'une infinité de petits grains grisâtres demitransparens, soujacens à la plévre ; de semblables tubercules sont répandus dans tout le tissu pulmonaire, qui néanmoins crépite parfaitement. L'extremité du sommet du poumon gauche, adhérente à la plévre sternale, completement desorganisée, est transformée en une masse d'un blanc grisâtre de consistance caséeuse, sans aucun vestige de vaisseaux." * Duo etiam exempla, quæ opinionibus hisce arrident, nuper memoravit Traversius. Homo cujus manus excisa fuerat subitô mortem obiit. Pulmones tuberculis nascenti-

---

* Traité De L'Encephalite, p. 52.

bus abundabant, quorum indicia nulla ante mortem observasse videtur. De juvene qui post penem amputatum sine ullo morbi acuti signo succubuit, sic dicit: "His lungs were sprinkled with minute tubercles in the first stage of their formation, of which no suspicion existed." * Nemini igitur dubium esse potest, historiis quas nunc protulimus, multisque aliis quas literis mandavere medici hodierni, quin corporis humani viscera in tubercula ex parte saltem mutari et mutata diu latere, absentibus omnibus phlegmasiæ testimoniis possint. Nonne tuberculorum origine interfuisse phlegmasiam, nutu tantummodo et arbitrio dicitur, quippe cujus signa omninò abesse constat?

Morborum autem singulatim narratorum relictis historiis, quippe quas nimis sæpe ad opiniones inter se discrepantes stabiliendas interpretati sunt medici; quæ leges quasi universæ ab observationibus quamplurimis, fide maxima factis et diligentiâ, pendent, ad ea confugere

---

* On Constitutional Irritation, p. 34.

oportet. Hoc modo, quid vel pneumonia vel bronchitis apud tuberculorum ortum valeat, est quærendum.

In cadaveribus eorum, qui pneumoniæ acutæ succubuere, rarissime inveniri tubercula, phthisi etiam peremptorum non multos pneumoniâ exercitos esse pernotescit. Sic ex octoginta phthisi pereuntibus, quorum historias tradidit Louis, septem solummodo tentaverat pneumonia. Tribus ex his septem, illo morbo annos quatuor ante mortem occupatis nunquam abfuerant tussis et excreatio nimia. Hæc exempla pneumoniam aliquando, licet raro, tuberculorum esse causam haud inverisimile reddidissent, nisi cæteri quatuor pneumoniam passi tres, sex et quindecim annos, antequam visa essent prima phthisis indicia, nec tussi nec catarrho plus quam antea laborassent. Quandoquidem ex septem tabi obnoxiis, in quatuor pneumoniæ invasio, phthisis in procinctu stantis accessionem non festinasse videtur; quòd tres alios simul invaserunt morbi hi duo aut casu et fortuito factum esse judicandum, aut inflammationi præivisse tu-

bercula eamque accendisse. Rem hoc ordine se plerumque habere, comprobant observationes ab Andralio ope stethoscopii institutæ. Incipiente phthisi licet tubercula multa parvaque pulmone jam nata sint, pectus, quum manu percutiatur, sonum clarum edit; murmur quoque, quod fit dum spiritus fertur, omnino integrum, nec crepitus, phlegmasiæ indicium auditur. Tuberculis autem sedem suam jam diu habentibus et auscultatione cavernas reperiente, sonum obtusum reddit thorax quum partes circa vomicarum labra percutiuntur, sonus necnon supra memoratus auditur imprimis, postea vix quidem aut non omnino aure usurpatur murmur quidvis; signa quæ haud dubia sunt pulmonis phlegmasia correpti. In lobulis necnon superioribus nascuntur fere semper tubercula antequam inferiores invadant; pneumonia autem in xlvii ex lxxvii exemplis * lobulum inferiorem occupavit. Illa vero pulmone ex alio in alium vix sæpe transit, tabes plerumque ambos simul invadit. Peripneumoniæ pulmo dexter valde

* Andral. t. ii. Pneumonie, Resumé Generale.

sæpius quam sinister sedes; in xc exemplis, enim ex cxxviii dextrum tentavit morbus; * phthisi autem pulmo sinister multo magis opportunus. † Sexui necnon muliebri quam virili multo ‡ magis funesta est phthisis. Pneumonia autem quam fœminæ longe sæpius tentantur viri. Ex septuaginta et quinque quos illo morbo implicitos curavit Louis, quinquaginta et duo sexus fuerunt fortioris. §

Nec minus pollent argumenta quæ bronchitidem neque necesse neque plerumque phthisi præire stabiliunt. Ex octoginta phthisi pereuntibus, quorum historias fide tradidit Louis, plurimi haud magis bronchitide plexi quam ii tabe liberi. Mulieres quas longe sæpius quam viros phthisi succumbere nuper dictum est, catarrho minus sunt opportunæ. Ex centum enim et quinquaginta quæ recensuit Louis exemplis, pars tertia tantum sexus fuit debilioris. || Ana-

---

* Andral. t. ii. Pneumonie, Resumé Generale.

† Louis, p. 8. ‡ Ib. p. 523.

§ Ib. p. 52. || Ib. p. 526.

tomicus ille peritus bronchorum membranam mucosam prope tubercula quæ in pus non abierant albam fere semper vidit; prope ea jam mollita bronchisque patentia, puncta rubra præcipue sparsa fuere, puris nempe trajicientis irritationi referenda. Multa, quæ in hâc re maximi intersunt, nos docuit stethoscopius. Quorundam, integrâ antea valetudine, subito tussi et catarrho correptorum, pectoribus digito attente percussis, admoto etiam stethoscopio audiuntur soni aliquando qui vel tubercula in pulmonibus vel etiam cavernas adhuc latuisse certissime indicant. Hæc vero bronchitidi diu antecessisse quis dubitabit? Variolæ etiam claro Heberden nullam in phthisin vim exercere visæ sunt. Dicit enim, "vidi quosdam variolis occupatos, cum jamjam tabe strumosâ essent perituri qui tamen mitem experti sunt morbum et eum feliciter depulerunt, neque idcirco quantum potui judicare, veteri suo morbo citius succubuerunt."

Sententiæ etiam aliæ in quam iverunt Broussais discipulique ejus, nempe tuberculis glan-

dulas afficientibus mucosæ membranæ vicinæ phlegmasiam necesse præire, minime favent ea quæ literis mandavit Louis. Omnibus vero glandularum mesenterii tuberculis invasarum exemplis, ilii membrana ulceribus obsessa fuit. Ulcera tamen hæc sæpenumero parva fuere nec proportio ulla inter earum et tuberculorum magnitudinem se habere visa est. Sic omnibus hisce glandulis in tubercula mutatis, membranam invenit albam nec minus firmam, nec rimas agentem, nec ulla morbi indicia exhibentem, nisi ulcus minimum, cujus labra pallida fuere et plana. Plus necnon pollent argumenta, tubercula cervicis glandulis nata ab inflammatione asperæ arteriæ et bronchorum membranæ mucosæ non pendere. Ex octo morbi hujus glandularum historiis quas narravit Louis, in quatuor tantum tracheæ membrana inflammata fuit, in unâ ulcera exhibuit. In cæteris omnino sana fuit.

Pauca tantummodo, de conditionibus anatomicis telarum corporis humani vel phlegmasiâ vel tuberculis occupatarum, proferre est ani-

mus. Nam quantopere inter sese distant, quis est qui ignorat? Pulmo etenim, inflammatione simplici correptus varias subit mutationes physicas, quas perspexerunt fere cuncti, optime descripsit Andralius; tuberculis autem tentatus idem formam, colorem, densitatem antea dictis omnino dissimiles præ se fert. Annon eadem causa res tam diversas gignere potest prout dicit Broussais? Nobis hæc Andralii dicta aurea potius placent: "pour rendre raison d'effets si dissemblables force sera d'admettre des causes predisposantes particulières de chacun d'eux; force sera de reconnâitre que l'irritation n'agit plus que comme une simple cause occasionelle, qui serait par elle-même impuissante à produire aucune de ces alterations." Medicus ille quidem clarus etiam dicit, quod mutationes organicæ *graviores* sæpe illæ sunt quas signa irritationis *leviora* comitantur.

Et telarum ergo morbidarum et quæ eas comitantur functionum læsarum, in iis phthisi peremptis perspectarum, historiæ, quas summâ curâ tradidere hodierni, præcipue vero census

illi universi fere, observationibus quamplurimis inter se collatis, nitentes, quos studio et diligentiæ Gallorum omnino debet scientia nostra, id efficiunt, ut tubercula in organis telisque corporis humani diversis oriri videantur ex vasorum secernentium vel exhalantium morbidâ quadam actione, cujus natura propria et specialis adhuc parum cognoscitur, quæ autem cum inflammatione, vasorum capillarium conditione, vix minus forsan tenebris obductâ, (de quâ nempe alii aliter sentiunt,) nullâ cognatione necessariâ conjungi videtur. Quamquam tamen satis cognitum perspectumque habeamus hanc quamcunque vasorum conditionem tam longe abesse ut ejus tubercula effundentis semper et necesse prout ait Broussais prodromus sit, ut multo sæpius huic præeant tubercula; quærere tamen licet annon plurima sint quæ vel corpori extrinsecus illata, diathesi hâc implicito, vel in sui ipsius penetralibus se habentia,—prout congestio venosa, irritatio corporis totius ea quam nuper clare exposuit Traversius,* aliaque multa,—

* On Constitutional Irritation.

aliquando id agunt ut effundatur materia tuberculi; inter has que causas nonne ascisci potest inflammatio? Rem ita se habere persuasum habet Dr Alison, opinionique ejus arrident quæ physiologici de secretione sanâ statuere. Nam actio specialis glandulæ cujusvis vasorum, vel iis propria, vel nervis pendens, ad munera hæc rite peragenda sola non valet. Augeatur sanguinis fluxus necesse est qui congestionem quandam in glandulâ gignat. Quum etiam sæpe usque ad ætatem provectam omnino latent tubercula, senem autem conficiunt, cur tunc temporis prodirent, nisi quod nova quædam corporis conditio orta sit quæ semina eorum latentia excitavit iisque vim vitamque conflavit? Sed argumentis præsertim devicti, quæ memoravit Doctor Alison, inflammationem æque ac congestionem venosam, resque alias mox dicendas hâc versari potestate confitemur. Rationes quarum ope doctrinas has tuitus est Dr Alison ex historiis præcipue constant, quibus tubercula inflammationis signa statim secuta, et vel telis phlegmasiâ mutatis adeo intime commixta, ut metam huic aut illi ponere haud liceret, vel solam lesio-

nem esse inveniebantur. Sic post abdominis dolorem, comitante pyrexia, qui morti hydrocephalo illatæ mensem prægressus est, exudatione lymphæ, eminentiarum tuberculosarum figuram præferente, opertum vidit peritoneum. Alio exemplo, post rubeolam quam tussis et febris sunt secutæ, tubercula in texturam eam carnosam vel hepati similem, in quam inflammatione mutatur pulmo, sensim abiere. Tertio denique pictoris arte conservato, piam matrem, granis margaritas referentibus conspersam, prope massam ejusdem materiei, formâ abnormi, non ullis carentem signis exudationis inflammatoriæ propriis, invenit. Pulmones etiam tuberculis mollibus referti erant circa quæ vasa plurima conspiciebantur. Hoc quoque tussis exemplum fuit, quæ, comitante febre, post rubeolam, infantem prius a morbis pectoris liberum aggressa est. Doctrinæque eidem favent quæ a Broussais in suo "Examen des Doctrines Medicales, t. ii. p. 684," de hâc re exponuntur; videlicet, tubercula ex causis irritationis organicæ ortum ducere, quæ vel statim organis telisque hoc vitio postea corripiendis, vel aliis texturis vi-

cinis, hasce per sympathiam nervosam aut vasa communicantia afficientibus, applicantur. Ita mucosæ membranæ bronchorum, vesicularum aeris, telæ cellulosæ interpositæ, vel pleuræ inflammatio, illo judice, pulmonum tuberculis semper antecedit; atque idem est mucosæ membranæ canalis intestinorum status, antequam in glandulis mesenterii nascantur hæc corpora. Nec diathesis quædam morbida, nec corporis habitus proprius huic morbo solum obnoxius; omnes autem diu ex partium nuper dictarum inflammatione chronicâ laborantes aggredi potest. In eorum phthisi naturâ opportunorum pulmonibus, quibus viventibus irritationis pulmonalis signa non sese edidere, tubercula unquam invenisse negat; horum autem dum in locis catarrho, pneumoniæ vel pleuritidi opportunis viverent,—dum Belgio *e. g.* considerent, phthisi pulmonali confectos plurimos oppetere vidit; eosdem, ex regione hâc gravi et funestâ, in Italiâm vel Hispaniâm transeuntes raro corripuisse morbum; omnes denique phthisi occupatos, morbi originem aut frigori aut alii cuidam irritationis pulmonalis causæ manifestæ tribuisse dicit. En-

teritide chronicâ interfectorum cadaveribus, glandulas mesenterii mucosæ membranæ punctis rubris vicinas, vasis sanguineis confertas; eas quoque mucosæ membranæ partibus actionem inflammatoriam jam passis ulceribusque obsessis finitimas, tuberculosas esse vidit. Plurimum etiam valent hæc verba clari Heberden. " Fieri potest ut morbilli graviores vel peripneumonia vel tussis convulsiva, vel alia adversa valetudo latentia tabis semina excitent vel etiam gignant, tam in pueritia quam in ultimâ senectute, cujus rei exempla ubique obvia sunt." Andralius etiam in hepate dicit tuberculis præire fere semper sanguinis congestionem, (t. iv. p. 19) remque adeo se habere in aliis jecinoris morbis organicis credit. " Ces divers engorgemens du foie sont certainement le point de départ d'un très grand nombre de ses affections organiques, soit hypertrophie et induration de sa substance; soit degeneration cancereuse." In tuberculorum originem eodem modo valet irritatio ea totius corporis, quam optime nuper descripsit Traversius; vel injurias magnas vel operationes chirurgicas perpessi, antequam pectoris morbis

nunquam tentati, sæpe phthisi confecti pereunt. Servus quidam, in liquorem bullientem crurum tenus qui inciderat, huic morbo cito succubuit, (p. 100.) Morbi exemplum ipse nuper in Nosocomio Regio Edinensi vidi quod rei, in quâ nunc versamur, aliquid interesse puto.

Johannes Young, æt. 23, April 18, 1827,—lignei operis faber, plurimos annos optime valuerat et nunquam, prout ipse dixit, pectoris morbo fuerat tentatus. Duos autem annos prius in Nosocomium quam esset receptus, partem inferiorem lateris dextri thoracis, equus calce vehementer percussit; costæ fractæ nullis signis afficiebatur; mittebatur statim sanguis, nec quicquid incommodi menses sex passus est, sed tunc temporis paululum sanguinis expuit, nec diu postea subsecutæ sunt tussis spiritusque difficultas. Dolor omnino abfuit—vena iterum fuit secta—morbus autem tarde ingravescebat, sanguis singulos fere menses excreabatur, nec operi suo vacare sæpe valuit. Omnia hæc mala hiemem postremam graviora facta sunt, nec per octo menses labores ullos potuit sustinere. Per-

paucis abhinc diebus sanguinis sextarium vel amplius expuit.

Jam nunc spiritus semper ægre ducitur, gravius vero dum in lecto jacet, vel celeri passu ambulat. Trigesies in horæ sexagesimâ parte spiritus fertur. Tussis minus frequens quam olim est. Dolorem autem partis inferioris lateris dextri pectoris movent et tussis et spiritus plene ductus. In latus dextrum semper incumbit, nam alioquin tussis et spiritus valde fiunt graviores. Excreatur interdum aliquid cruentum. Pulsus civ.

Pectore etiam ope stethoscopii attente explorato murmur, quod fit dum spiritus trahitur atque emittitur, in pulmone dextro vix est audiendum. In sinistro autem spiritus cum multo majore sono fertur quam solitum ; nempe is est quem " puerilem " nominat Laeneccius. In axillâ dextrâ et abhinc deorsum usque ad mammam, indicium illud inflammatione correpti pulmonis, " crepitus " videlicet, facile percipiendum. Hisce locis murmur naturale vix audi-

tur et partibus inferioribus parum aut nihil aure accipitur. Quis vero stethoscopii peritus, signorum valetudinis adversæ ordine, tempore etiam per quod morbo laboraverat, rite perpensis, pulmonem dextrum tuberculis quamplurimis esse obsessum, ex his quoque aliqua parenchymate phlegmasiâ longâ occupato cincta esse dubitabit? Morbum autem hunc ex injuriâ lateri *dextro* pectoris illatâ ortum duxisse, pulmone *dextro* laborante, valetudineque prius bonâ cito post vulnus acceptum conturbatâ, pariter constat. Apud hominem huncce, tuberculorum semina annos amplius viginti dormientia semper forsan dormitura essent, nisi vulneris irritatione cita fuissent, quippe quæ sanguinis molem in pulmone dextro statim augeret quoque actionem vasorum ejus abnormem gigneret.

Magni etiam æstimamus quæ de scirrho docuit Astleius Cooper. * Feminas enim, quum menstrua non rite proveniunt, præcipue aggredi-

* Lectures, V. ii. p. 177, 185–6.

tur morbus iste funestus. Vetularum quoque mammæ, eo tempore cum fluere jam cessavere, scirrho quam maxime opportunæ.

Tertia nobis est tentanda doctrina, cujus auctor fuit eximius ille Jennerus, quam etiam in operibus duobus de morbis tuberculosis ingeniose tuitus est Baronus. Plurimas si non omnes texturas morbidas ex hydatidibus nasci existimant. Tubercula nascentia vesiculas esse parvas pellucidas, adeo delicatas ut tactu sentiri nequeant, dicit Baronus. Talia in cadavere humano vix unquam conspicienda sunt; medicis ergo fere omnibus jam primum nata esse describuntur, quum provectiora sint vix translucentia ita grandia ut milii semina referant. In cuniculorum hepatibus gradus varios, per quos transeunt in tubercula mutatæ hydatides, sæpenumero perspexit Jennerus. Macula parva et opaca in vesicâ pellucidâ eam cito mutaturam esse imprimis indicat, quæ paulatim augetur donec pellicula omnis opaca redditur cartilaginique similis. Simul mutatur humor; translucens nempe gelatinæ instar, vel puri, vel caseo

lacte commixto, vel cruori similis fit, nullisque caret signis physicis quæ tuberculorum sunt propria. Hydatides in tubercula solida mutatas in pus nunquam abituras esse contendit Baronus. Ad hanc opinionem confirmandam, multorum quos ipse, quos que alii curavere et antiqui et hodierni, historias, literis mandavit, in quibus et hydatis variæque telæ morbidæ jam recensitæ in eodem viscere simul sunt repertæ.

In Nosocomio Regio urbis hujus, duas cadaverum sectiones vidimus rem quam nunc agimus ei non omnino alienas. Primus vero Alexander Lawson, annos lxxii natus, vesicæ morbo confectus mortem oppetiit. Apud renis dextri superficiem plures erant hydatides ad pisi vel fabi magnitudinem, quarum omnes humorem pellucidum continebant. Inciso rene textura ejus illæsa esse reperiebatur. Renis sinistri et superficies et parenchyma, tuberculis quamplurimis parvis miliaribus firmis, referta fuerunt. Parte ejus extremâ conspecta fuit hydatis columbæ ovo paulo grandior quæ tuberculis undique fuit obsessa.

In cadavere altero corpora hæc in ovario simul inveniebantur. In hypogastrio erat tumor ad infantis capitis magnitudinem, quæ peritoneo tegebatur. Superficies ejus corporibus multis parvis et rotundis obsessa fuit, quæ in maculis distinctis sunt disposita, inter quas conspiciebatur membrana naturalis. Corpora hæc firma subalbicantia omnino tubercula referebant. Moles varia fuit; nullum piso grandius. Massæ hujus morbidæ forma fuit abnormis et "lobulata." Per integumenta ejus hydatides obscure perspiciendæ. Tumor hic ex cystis plurimis distinctis, quarum aliæ aliam magnitudinem præferebant, quædam ovo vix minores, constabat. Ex his aliæ materiam gelatinæ similem continuere, aliæ opaciorem, aliæ puri vel tuberculo mollito non dissimilem. Vinculo quasi communi nempe textura fibro-cartilaginosâ inter se continebantur hæ cystæ, adeo ut tumorem magnum efficerent. Observationes quoque de animalium morbis quas fecit Dupuy* stabilire videntur ut inter cystam fibrosam quæ hydati-

* Andral, t. iii. p. 25, Note.

dem circumdat propriasque ejus membranas, humor albus sæpe fit tuberculo mox similis futurus. In exemplis quibusdam cystam totam materia tuberculosa plenam perspexit; quam cystæ membranâ internâ secerni judicat. Andralius exemplum etiam memoravit sacci hydatiferi qui ad suppurationem spectaverat, in libro suo nuper edito. *

Hisce igitur devicti argumentis, hydatidem, actione vel sui ipsius vasorum vel texturarum apud quas genita est, multimodis mutari, atque haud raro in pus abire fateamur necesse est. A verâ tamen ratione longe avios deerrasse qui in tuberculum eam transire constituant, facile probatur. Nam tubercula, rarissime in eodem, quo hydatides viscere, sunt reperta. Ex quatuor exemplis pulmonum hydatidibus vitiatorum, ab Andralio memoratis, in uno tantummodo tubercula quoque perspexit. Pulmones necnon, qui tuberculis quam alia viscera sæpius obsidentur, hydatidibus multo minus sunt oppor-

---

* Andral, t. iv. p. 41, operis citati.

tuni, quæ vicissim renes testesque morbo hoc nostro rarius occupatos, maxime infestant. Ex sex mille ægris a Lerminier curatis, apud quinque solum pulmones aggressa erant hæc animalia. Quinetiam quum textura quævis corporis humani, hydatide tuberculoque simul tentatur (id quod raro accidit) hæc tamen in illud non paulatim transit, nec adeo intime nova corpora commiscentur, ut meta ex qua oritur illa, in quamque desinit hoc, non sub oculorum sensum cadat; sed facillime inter sese distinguuntur. In primo nempe exemplo a nobis nuper memorato ren dexter nullo vitio nisi hydatidibus fuerat correptus; renisque sinistri tuberculis quoque affecti, partes omnino diversæ, duorum vitiorum sedes erant. In secundo etiam peritoneum quod tumorem obtexit tantum vera tubercula exhibuit. Tumor ipse quidem ex hydatidibus et simplicibus, et ad suppurationem spectantibus penitus constabat. Apud perpaucos ergo quos simul exercent et tubercula et hydatides, hoc fortuito fieri nullâque affinitate morbos duos conjungi, vincet forsan sententia. Aliæ etenim mutationes organicæ, æque ac tubercula, atque

hydatides simul aliquando constant. Hujus rei exemplum narravit Cooperus.*

Hæc denique sunt quæ de re, in quâ sumus versati, hâc opellâ nostrâ docere voluimus, quæque prorsus in certis exploratisque ducimus.

1*mo,* Tubercula actione quâdam abnormi vasorum nutrientium in variis corporis humani texturis gignuntur.

2do, Actio hæc, æque ac fere omnia, quæ apud corporis penetralia peraguntur, atrâ nocte obtecta, ab inflammatione tamen prorsus est aliena.

3tio, Hanc autem, nullis antecedentibus caussis, fortuito, ac veluti sponte suâ oriri, contendere nolumus ; atque fatemur multas esse conditiones morbidas, vel totius corporis, nempe " plethoram," debilitatem, febrem, irritationem universam ; vel partium ejus singularum, ve-

---

* Surgical Lectures, vol. ii. p. 121, 125.

luti inflammationem, nimis sanguinis in venis congestum, infinitaque alia, quæ tuberculorum scintillas adhuc latentes semperque forsan latituras, excudere, incendiaque funesta conflare possunt.

4*to*, Hydatides et tubercula res sunt inter se, ratione ortus et incrementi, quam maxime dissimiles.

FINIS.